

Orsa Quadraginta duorum capitum  
vulgo  
Orsa Quadragenaria  
appellata

佛說四十二章經

In linguam sinicam verterunt  
Casiapamatangas  
et  
Phalanus Indicus

e lingua sinica in latinam vertit  
Christophorus Ferrarius  
emendavit edendaque curavit  
Alexander Ricius

In illo tempore cum Mundi Honoratus viam perfecisset sic cogitavit : « Rejecta libidine, tranquillitate frui summa victoria est. In magna meditatione versor atque daemonium viam devici. Nunc Firmaminis rotam versem ad omnes animantes liberandos. » In Cervorum Hortis quinque virorum, Gautiniae aliorumque, gratia quatuor Evidentiarum\* rotam versavit atque viae fructum demonstravit. Tunc temporis etiam monachi fuere qui Evigilato dubia sua exposuerunt illumque admonestationes rogaverunt. Mundi Honoratus ita eos docuit ut intellexerit unusquisque. Coniunctis manibus reverenter praecepta acceperunt secutique sunt. Tunc temporis Mundi Honoratus iis orsa veridica quadraginta duobus capitibus exposuit.

\**sive* : Veritatum

I.

Evigilatus ait : Qui rejectis parentibus domum reliquit ut ad radicem usque mentem suam cognoverit infectaque firmamina intellexerit, is monachus vocatur.

Qui constanter ducentis quinquaginta mandatis se exercet ut mores purificet, viamque quatuor Evidentiarum\* gerit, is archon fit, qui volare potest transformationesque agere, aetatemque producere, coelum terramque movere atque consistere.

Dein est irredux, qui irredux, cum aetatem perfecit, spiritu per undeviginti coela ascendit, ubi archontis statum adipiscitur.

Dein est unireditus, qui unireditus semel ascendit semelque redit, tum archontis statum adipiscitur.

Dein est influus, qui influus septies moritur septiesque renascitur, inde archontis statum adipiscitur.

Amputatae libidines scilicet amputatorum membrorum similes sunt : amplius iis non utetur.

## II.

Evigilatus ait : Monachus qui domum reliquit et libidines amputavit appetentiamque rejecit, mentis suae fontem cognovit adque profundum Evigilati principium pervenit. Intus abest quod adipiscatur, extus abest quod poscat. Mens viae non alligatur, neque facinora conficit ; illi abest notio atque actio, nihil illi cum exercitatione attestationeque ; gradus non percurrit atque sponte sua suprema implet, quod vocatur via.

## III.

Evigilatus ait : Qui capillum barbamque totondit ut, monachus factus, legem de via accipiat, is hujus mundi divitias rejiciat atque satis habeat quae mendicus obtinuerit ; cottidie semel cibos edat, semelque tantum sub eadem arbore pernoctet, caveat ne saepius faciat. Quod homines sultitiâ obscurat appetentia est libidinesque.

## IV.

Evigilatus ait : Animantibus decem bona sunt, decem vero mala. Quaenam sunt decem haec ? Corporalia tria, oralia quatuor, mentalia tria. Tria corporalia sunt caedes, furtum, fornicatio ; oralia quatuor sunt bilinguis sermo, calumnia, nugae, argutiae ; mentalia tria sunt : avaritia, iracundia, insipientia. Quae decem, cum viam sanctam non sequantur, decem male acta appellantur, quod si malum terminatur, decem bene acta demum appellantur.

## V.

Evigilatus ait : Quos culparum turbae non paenitet, iis extemplo mentibus hae obsistunt, peccata denique sibi revertuntur, sicut aquae mari, atque sponte amplificantur. Cui vero agnoverit mala sua eaque in bonum emendaverit, in diem dissolventur culpae<sup>1</sup> denique viam adipiscetur.

---

<sup>1</sup> *var.* : sicut morbus sudatione sanatur.

## VI.

Evigilatus ait : Malus cum te bene facere audiat, consulto ad perturbandum veniet ; tu autem te ipsum cohibe ne irascaris, qui enim ad malum venerit sibimet malum faciet.

*versio altera :*

Qui stulte me male tractaverint, eos quadruplice commiseratione salvabo. Qui duplicantes ad male faciendum venerint, ego iis duplicans ad bene faciendum ibo. Meritorum spiritus enim semper mecum erit, at calamitosa damnorum copia apud istos erit.

## VII.

Evigilatus ait : Vir erat qui, cum audiret Evigilatum viam observare magnamque commiserationem exercere, illi cum malo venit atque cum bono abiit ; consulto enim venit ut Evigilatum contumeliose tractaret, Evigilatus autem siluit neque isto respondit, miserebatur enim istius insipientiae cujus causa sic agebat. Placatis contumeliis istum rogavit : Si tu aliquem sequaris ut eum dono dones, is autem suscipere nolit, tibi referatur donum ? Respondit : Prorsus mihi referetur. Evigilatus ait : Nunc me contumeliis tractas, ego vero eas non recipio. Ipse calamitates tibimet referes. Sicut echo voces repercutit, sicut umbra formas sequitur, numquam eas evitabis. Cave igitur ne malum agas.

## VIII.

Evigilatus ait : Vir malus qui sapientem laedit perinde est ac qui ad coelum sputat. Sputum ejus coelum non inquinat, immo ad se reversum ipsum inquinat. Si quis contrario vento pulverem jactat, pulvis ad alterum non venit, sed ad ipsius corpus revertitur. Sapientem laedere nequit, at culpa profecto ipsum abolebit.

## IX.

Evigilatus ait : Qui perlate eruditione viam appetiverit, profecto viam difficulter occurret ; cui voluntatem servaverit ut viae serviat, via prorsus maxima patebit.

*versio altera :*

Vir qui viam gerit, sedulo perlata caritate perlataque commiseratione eleemosynam faciat. Nulla merita enim eleemosynâ majora sunt. Cui voluntatem servaverit ut viae serviat, merita prorsus maxima patebunt.

## X.

Evigilatus ait : Qui, cum aliquem videat viam donare, eum adjuvat laetans, merita mercedesque sibi adipiscitur.

Rogavit quis : Numquid merita exhauriantur ?

Evigilatus respondit : Simile est ut unius facis ignis, quem milia hominum vel pluries centeni inter se ex face dividunt ad cibos coquendos tenebrasque dissipandas ; fax vero pristina manet : talia sunt ejus merita.

## XI.

Evigilatus ait : Idiotas vel centum alere non aequat bonum unum alere ; bonos vel mille alere non aequat quinque praeceptorum cultorem unum alere ; quinque praeceptorum cultorum vel decem milia alere non aequat Influxum unum alere ; Influxorum vel centies milia alere non aequat unireditum unum alere ; Unireditorum vel decies centies milia alere non aequat Irreducem unum alere ; Irreducum vel myriadum mille alere non aequat archontem unum alere ; archontum vel myriadum decem milia alere non aequat evigilatum anachoretam unum ; evigilatorum anachoretarum myriadum vel centum milia alere non aequat trium veneratorum<sup>2</sup> doctrinam docendo efficere ut ipsius aetatis binos parentes transgrediendos curetur ; doctrinarum myriadum myriadas docere non aequat unius Evigilati doctrinam discentem optare ut Evigilati statum adipiscatur atque animantes salvetur. Qui bonum hominem alit, ejus merita maxime profunda sunt ; idiota caelestia terrestriaque numina colens non aequat eum qui pie parentes colit, nam parentes eminenter divi sunt.

*versio altera* (post « evigilatorum anachoretarum myriadum vel centum milia alere) :

non aequat tritemporalium evigilatorum unum alere. Tritemporalium Evigilatorum vel myriadum myriadas alere non aequat unum alere cui absit notio, demoratio, exercitatio, attestatio.

## XII.

Evigilatus ait : Sunt in hoc mundo difficilia quinque ; pauperi scilicet difficile est eleemosynam dare ; diviti difficile est viam discere ; difficile est vitam gerere quin moriatur ; Evigilati orsa contingere difficile est ; in Evigilati aetate nasci difficile est.

*versio altera* :

---

<sup>2</sup> = tria cimilia seu tria gemmata.

Hominibus viginti sunt difficilia : pauperi scilicet difficile est eleemosynam dare ; diviti difficile est viam discere ; difficile est vitam relinquere ad certam mortem ; Evigilati orsa contingere difficile est ; in Evigilati aetate nasci difficile est ; speciem libidinesque patientia ferre difficile est ; pulchrum aspicere quin id quaeratur difficile est ; contumeliam sine ira ferre difficile est ; potestate frui quin eam in homines vertatur difficile est ; sine mentis commotione objecta sensuum occurrere difficile est ; lata scientia rerum naturam investigare difficile est ; superbiam obliterare difficile est ; studiis rudes non contemnere difficile est ; aequanimitatem exercere difficile est ; iudicium non proferre difficile est ; necessarios bonos occurrere difficile est ; naturam videre viamque discere difficile est ; secundum ipsorum facultates homines convertere eosque transgrediendos curare difficile est ; immoto animo sensibilia tractare difficile est ; latebras salvificas bene intellegere difficile est.

### XIII.

Monachus quidam Evigilatum rogat : Quibus auxiliis priores natiuitates nostras noverimus adque summam viam perveniemus ?

Evigilatus ait : Purgata mente voluntas servanda est, sic ad summam viam pervenietur. Simile est speculo polito cuius claritas continetur rejecto pulvere. Si amputata erit libido neque ullum quaesitum erit, priores natiuitates profecto cognoscentur.

### XIV.

Monachus Evigilatum rogat : Quidnam est bonum ? Quidnam est maximum ?

Evigilatus ait : Viam exercere atque verum servare est bonum ; voluntatis congruentia cum via est maximum.

### XV.

Monachus Evigilatum rogat : Quid est forte ? Quae est summa claritas ?

Evigilatus ait : Patientia fortis est ; quoniam odium non concipit, eo magis securitatem auget. Patiens sine odio est atque in honore apud homines. Mentis pulvis exhauritur donec pura sit sine rima maculaque ; haec est summa claritas. A coelo terraque nondum creatis ad hodiernum usque diem, omnium quae in universo existunt nihil quod non videas, nihil quod non scias, nihil quod non audias, omnium entium sapientiam adipisci : haec claritas aestimanda est.

## XVI.

Evigilatus ait : Qui appetentiam libidinesque concipit neque viam percipit similis est aquae limpidae : quae si manu perturbatur, homines qui ad eam appropinquent figuram suam in ea repercussam non aspiciant. Homines propter permixtas libidines mente turbida suscitant quapropter viam non percipiunt. Vos autem, monachi, appetentiam libidinesque abjiciatis oportet. Exhausto libidinum pulvere, via apparebit.

*versio altera :*

Evigilatus ait : Qui appetentiam libidinesque concipit viam non percipit atque aquae turbidae similis est in quam quinque colores conijciuntur atque vehementer conturbentur. Homines qui ad aquam se appropinquent figuram suam aspiciere non possint. Quod si appetentia libidinesque in mente permiscentur, propter turbiditatem via non percipitur. Purgata aqua expulsisque sordidis, cum puritas immaculata facta sit, sponte apparent formae. Sub olla si appositus erit ignis ardens, aqua in ea fervescit ; si panno ea operata erit, animantes innixti quoque figuras suas non videbunt. Media in mente a principio intus fervent tria venena ; opercula quinque exterius cum operiant, via demum non percipitur. In summa mentis pulvis ubi exhaustus est, tunc dinoscitur unde veniat anima, quo tendant nativitas morsque. Ubi sunt via virtusque, ibi Evigilati regnum.

## XVII.

Evigilatus ait : Qui viam perceperit ei similis est qui in conclave obscurum intraverit manu facem habens ; continuo enim dissipantur tenebrae atque claritas tantum superest. Si quis viam discendo veritatem perceperit, ei dissipabitur ignorantia atque claritas in perpetuum supererit.

*versio altera ultimae sententiae :*

Si quis viam discendo veritatem perceperit, ei dissipabitur omnis insipientia omniumque visionem adipiscetur.

## XVIII.

Evigilatus ait : Lex mea est commentationem sine commentatione commemorare, praxim sine praxi praxare, loquelam sine loquela loqui, exercitationem sine exercitatione exercere. Qui in iis congruunt appropinquant, qui autem errant eo longius distant. Sermonis via heic interrumpitur, neque re apprehendi possunt. Vel ungui discedente ea amittes, vel ictu temporis dilato ea perdes.

*versio altera :*

Evigilatus ait : Quid commentor ? Viam commentor. Quae est praxis mea ? Viae praxis est. Quis est sermo meus ? De via est sermo. Dum veritates viamque commentor, vel ictu temporis eas non obliviscor.

#### XIX.

Evigilatus ait : Dum coelum terramque contemplo, ea tamquam caduca commentor ; dum mundum contemplo, eum tamquam caducum commentor ; spiritualem intellectionem tamquam Evigilationem contemplo. Tali cognitione celeriter viam adipiscitur.

*versio altera :*

Evigilatus ait : Dum coelum terramque contemplo, ea tamquam caduca commentor ; dum montes amnesque contemplo, ea tamquam caduca commentor ; dum creaturarum formas corporaque in gloria eorum contemplo, ea tamquam caduca commentor. Si tali menti adhaeritur, celeriter viam adipiscitur.

*Inseritur heic in aliquot versionibus dictum :*

Si in praxi cottidiana jugiter viam commentatur viamque exercetur, tandem fidei radicem adipiscitur.

#### XX.

Evigilatus ait : Commentandum est quatuor elementa corporalia nomen habere proprium quaeque, at in omnibus « ipsum » deesse ; cum absit omnino « ipse », is nonnisi simulacrum existit.

#### XXI.

Evigilatus ait : Qui libidines sequuntur famam nomenque sibi quaerunt ; cum vero nomen illustrissimum factum sit, ipsi jam desunt. Qui nomen in mundo permanens cupiunt neque viam discunt, merita deflectunt figuramque fatigant. Simile est thuris combustio : cum homines thus olfaciant, thus jam in cinerem versum est. Ignis qui corpori imminet postea solus manet.

*versio altera :*

Qui ad libidines proni nomen ornatum sibi quaerunt similes sunt thuris combustionem : turba hominum thus quidem olfaciunt, at thus ipsum ut vapor fiat uritur. Insiapiens nomen honoratum divulgatumque cupit neque viae veritatem servat. Nomen ornatum calamitas est qua periclitatur homo, postea satis paenitenda.

#### XXII.

Evigilatus ait : Divitiae speciosaque quae ab hominibus non rejiciantur similia sunt cultro melle uncto quod satis non est ut pulchrum prandium faciat, sed cum parvulus eum lingat, damnum existit sectae linguae.

### XXIII.

Evigilatus ait : Uxor, liberi, domus artius quam carcer vincunt hominem ; et in carcere est spes olim liberandi, uxori autem liberisque numquam erit relinquendi animus. Adeo enim mens speciem appetit, num in ea operari vereatur ? Quamvis sit damnosum tigridis os, cor adhuc perlibenter ei submittitur, sponte sua in caeno dejectum suffocatur. Quamobrem idiotae dicuntur isti ; qui vero portam illam transiverit archon erit a pulvere emersus.

*versio altera :*

Evigilatus ait : Artius homo damnis vincitur uxoris, liberorum, thesaurorum, domi quam carceris, manicarum, catenarum. Et in carcere est liberationis spes, at in uxoris liberorumque amorem, quamvis aequae sit calamitosus ac os tigridis, dulci mente se submittit quisque, cui peccato nulla venia erit.

### XXIV.

Evigilatus ait : Speciei nulla major est appetentia ; nullum enim magis appetendum quam species usquam datur. Feliciter haec una est, quodsi duae essent, nemo terrigenarum viae se exercere valeret.

### XXV.

Evigilatus ait : Homini appetentia perinde est ac si quis facem habens contra ventum ambulat, cui profecto manus urendae erit damnum.

*versio altera :*

Evigilatus ait : Homini appetentia perinde est ac si quis facem habens contra ventum ambulat ; stultus facem non dimittit atque ei profecto manus urendae damnum erit. Concupiscentiae, irae, insipientiae venena in humano corpore insunt, quae calamitates nisi citius viae auxilio expulsae erunt, profecto periculum existet, sicut stultus avarus facem tenet suamque ipsius manum urit.

### XXVI.

Evigilatus ait : Di Evigilati animum laedere cupientes virgines divinas illi obtulerunt ; Bodius vero dixit : « Scorta putida ! Ad quid venistis ? Abite, vobis non utar ! » Eo crevit deorum reverentia, qui idcirco



Viae sensum percuntati sunt. Bodius istis eam aperuit atque Influi fructum adepti sunt.

*versio altera* : Evigilati animum temptare cupientes.

#### XXVII.

Evigilatus ait : Qui viam gerit perinde est ac lignum in aqua, quod secundo flumine defluit ; neutram ripam contingit, ab hominibus non arripitur, a daemonibus non interrumpitur, turbine non deprehenditur neque umquam putescit. Equidem spondeo lignum hoc profecto in mare introiturum esse. Qui viae se exercet, neque appetentia perturbatur, neque pravis vexatur, quique assidue apraxiam gerit, hunc hominem spondeo profecto viam adepturum esse.

#### XXVIII.

Evigilatus ait : Cavete ne animo vestro credatis, nam animus vester minime credibilis est. Cavete ne cum specie congruatis, nam speciei congruentia calamitatem parit . Postquam archontis fructum adepti eritis, tunc demum animo vestro credere licebit.

#### XXIX.

Evigilatus ait : Cavete ne speciem mulierum aspiciatis, neque cum iis loquamini. Quod si colloquimini, recta mente haec cogitate : « Ego monachus sum, qui in mundo caenoso commoror, oportet talis sim ac loti flos qui luto non inquinatur. » Anûs pro matre habete, seniores pro sorore natu majore, juniores pro sorore natu minore, parvulas pro filia. Sic vobis mens salutifera orietur atque dissipabuntur commentationes malae.

*versio altera post « pro filia » sic continuatur :*

Eas comiter tractate et urbane, atque animo sic clare considerandum erit, a capite ad pedem usque sic intus inspiciendum : « Quidnam est corpus istud nisi mali umoris impurorumque germinum concretio ? » Ita animum vestrum relaxabitis.

#### XXX.

Evigilatus ait : Qui viam gerit perinde est ac qui herbis desiccatis vestitur : cum ignis adveniat, is necesse est fugiat. Cum viae sectator appetentias percipiat, ei profecto longe abeundum est.

### XXXI.

Evigilatus ait : Cum aegre ferat quidam fornicationem non desistere, voluit membrum virile ipsius castrare, at Evigilatus ei dixit : Magis expedit mentem quam virilia castrare, nam mens sicut strategus est : si praefectus destiterit, pedisequi omnes quiescent. Nisi mens prava desistat, virilia castrata ad quid usui sint ? Dein versus recitavit Evigilatus :

Ex animo appetentia  
notione animus proditur  
utrique menti pace allata  
species confectique desunt.

Monuit Evigilatus : Hos versus recitavit Bodius Casiapas.

*versio altera* : (post « fornicationem non desistere ») super securim subsedit ut ipse secus virile suum secaret.

(post « ad quid usui sit ? ») Is necesse moriatur. Evigilatus ait : Hujus mundi visiones erratae sicut insipiens iste sunt.

### XXXII.

Evigilatus ait : Homini ex appetentia paritur tristitia, exque tristitia paritur timor. Si interrupta erit appetentia, quae tristitia, qui timor existet ?

### XXXIII.

Evigilatus ait : Qui viam gerit similis est viri contra virorum decem milia pugnantis : Cum armis instructus e porta gradiatur, aut animus ei fallit, aut vix percurso medio campo tergum vertit, aut proelians decidit, aut victor redit. Monachus qui viae se exercet cor debet confirmare, studio ac virtute insignis objecta non pavescit, daemones destruit, denique viae fructum adipiscitur.

### XXXIV.

Monachus quidam cum noctu Orsa Testamentaria Evigilati recitaret, vox ejus tristis facta est ac angusta. Maerore confectus recedere volebat, at Evigilatus eum rogavit : « Cum olim in mundo esses, quo munere fungebaris ? » Respondit : « Cithara libenter canebam. » Ait Bodius : « Quid si chordae nimis tensae erant ? » Respondit : « Non sonabat. » « Quid si nimis laxae ? » « Vox interrompebatur. » « Quid si medium exsteterat inter intentionem relaxationemque ? » « Notae ordinabantur. » Evigilatus ait : « Idem est de monacho qui viae studet : si mens illi concinnata erit, viam adipisci licebit ; in via si temere se gesserit, temeritate corpus fatigabit ; fatigato corpore, animus aerumnosa fiet ;

propter animum aerumnosum praxis regredietur ; regressa praxi, peccata profecto multiplicabuntur. Satis ergo sint puritas et commoditas ne via pereat.

XXXV.

Evigilatus ait : Ut vir qui ferrum cudit ad vas conficiendum scorias evellit atque vas elegans existit, ita qui viae studet mentis sordes evellit ut praxis ejus pura fiat.

XXXVI.

Evigilatus ait : Etsi quis malas generationes dirumpere potuerit, ei difficile erit humanam generationem nancisci. Etsi humanam naturam nactus erit, difficile erit, femino sexu rejecto, virum nasci. Etsi virilem naturam nactus erit, difficile erit sensus sex integros habere. Etsi sensus sex integros habuerit, difficile erit in Regno Medio<sup>3</sup> nasci. Etsi in Regno Medio natus erit, difficile erit aetatem Bodii contingere. Etsi aetatem Bodii contigerit, difficile erit adeptum occurrere. Etsi adeptum occurrerit, mentem fidelem suscitare difficile erit. Etsi mentem fidelem suscitaverit, mentem Evigationis explicare difficile erit. Etsi mentem Evigationis explicaverit, apraxim instabileque attingere difficile erit.

XXXVII.

Evigilatus ait : Etsi Bodii filius a me pluries mile leugis distat, dum praecepta mea commentetur, viae fructum profecto carpet. Quod si, dum penes me adest cottidieque me aspicit, praecepta mea non sequitur, viam demum non adipiscetur.

XXXVIII.

Evigilatus monachum rogavit : « Quantum est, putas, humanae vitae spatium ? » Respondit : « Dierum aliquot. » Bodius ait : « Nondum viam novisti. » Rursus alium monachum rogavit : « Quantum est spatium humanae vitae ? » Respondit : « Prandii spatium. » Dixit Bodius : « Nondum viam novisti. » Alium demum rogavit : « Quantum est humanae vitae spatium ? » At is respondit : « Flatus intervallum. » At Evigilatus : « Optime ! Tu novisti viam ! »

XXXIX.

---

<sup>3</sup> Quod est heic India, non Sinae.

Evigilatus : Cui Evigilati viae studet, omnia fide sequenda sunt quaecumque ab Ipso exposita. Ea enim similia sunt mellis comedendi, cujus extrema mediumque dulcia sunt omnia ; doctrina mea quoque ita est.

XL.

Evigilatus ait : Monachus qui viam gerit ne sit ut bos molaris ; cum corpore viam gerat, mente autem viam non gerit. Quod si mentis via geritur, cui usui est viam gerere ?

*versio altera* : Qui viam gerit appetentiae radices evellere valet, similiter ac qui margaritas legit ; quamvis singulatim legendae sint, tamen veniet hora cum exhaustum sit opus ; ubi mala exhausta sunt, viam adipiscitur.

XLI.

Evigilatus ait : Qui viam gerit sicut bos graviter oneratus est qui alto in luto graditur. Perquam fatigatus vix audet sinistrorsum dextrorsumque aspicere. Ubi se a luto evellit, primum respirare licet. Monachus ergo contemplatione appetentias pro luto habeat, rectaque mente viam commentetur ut molestias evitare possit.

XLII.

Evigilatus ait : Equidem procerum officia pro pulvere interstitiali habeo, aureas gemmeasque gazas pro testulis, alba serica pro pannis, mundum universum pro nuce, stagni Athermici<sup>4</sup> aquas pro oleo ad pedes unguendos, portam Latebrarum pro gemmarum magicarum acervo, vehiculum supremum pro linteis auro consertis qualia in somnis videntur, Evigilati viam pro flore ante oculis fluitante, exstasim pro Olympi columna, extinctionem pro expergefactione diurna atque nocturna, recta errataque pro draconibus sex volitantibus, aequum pro uno vero, ortum transformationemque pro arbore anni tempora quatuor sequente.

FINIS

---

<sup>4</sup> Lacus Anavatapta himalaiensis scilicet.

